

1.

ARGV MEN
TA OMNIVM, TAM

VETERIS QVAM NOVI

Testamenti, Caput: Elegiaco Carmine

conscripta: authore RODOL-

PHO GVALTHERO

TIGVRINO.



*Ex libris Caspari
Dilligari Tigvrini
2.6.29*

IESVS

ECCE agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.

Ioan. 1.

TIGVRI EXCVDEBAT

Froschouerus. Anno XLIII.

W. D

BEATI COMITIS DON-

garenſis Theologi & Medici exhortatio
ad ſacras literas.

QVI cupis egelidos ſagranti corde liquores,
Caſtaliog; aſtus fonte leuare tuos:
Hæc properanter adi, nec te ratio ulla moretur:
Pegaſeum curſu uincere oportet equum.
Hic ſunt intus aquæ dulces, ſunt pura fluenta,
Tollere Tantaleam, quæ putæ, poſſe ſitim.
Limpidus hinc claro decurrit flumine fons, qui
Mortifugas omni tempore ructat aquas.
Ergo hic ambroſias humor ſuperauerit omnes,
Hæc longe Hybleos uicerit unda fauos,
Qua qui proluerit cupidus ſua pectora, nunquam
Ardores dura ſentiet ille ſitis.
Cætera ſunt limus, ſunt ſordes flumina tantum.
O nimis immunda balnea digna ſue.



1

A R G V M E N T A I N

L I B R V M G E N E S E O S .

In Caput primum.

Condidit è nihilo **DOMINVS** mare, sydera, terrã
Et certis fecit legibus ire uices.

Hinc hominem formans illi benedicit, & huius
Imperium pariter cuncta timere iubet.

Cap. 2.

Septima lux **DOMINVM** uidit petiisse quietem,
Hæc igitur nobis rite colenda dies.

Atq; uiro è terra, formata ex ossibus Eua,
Connubio iunctos hortus amœnus habet.

Cap. 3.

Falluntur primi serpentis fraude parentes
Et mortale trahit crimina dira genus.

Pellitur infœlix misera cum coniuge Adamus,
Pollicitisq; **DEVS** tristitia damna leuat.

Cap. 4.

Primus Abel insons fraterno cæditur ense,
Increpuit fratris tam fera facta **DEVS**,

Coniuge qui ducta terris noua moenia condit,
Seth rursum Eua parit, nascitur hinc & Enos.

Cap. 5.

A prima primi numerantur stirpe nepotes
Ad Noah, qui genuit, Sem, Iaphet atq; Chama.

PROPHETIA
ABDIAS.

In Cap. 1.

CRudelem nimium Vates reprehendit Idumen,
Inuidiam, fastum, foedera falsa notans.
Qui sanctos uexant, simili quoq; lege peribunt,
Omnia deuincet bella futura Sion.

IONAS.

In Cap. 1.

Mittitur ad Nineues celeberrima moenia Ionas,
Imperium Domini sed tamen ille fugit.
Horrida tempestas de nauibus eijcit illum,
Excipit hunc caeco bellua uentre ferox.

Cap. 2.

Pisce latens celebrat Domini pia munera Vates,
Et summi cantat tot benefacta Dei.
Euomit absorptum caeco de gutture Coetus.
Redditur & terra, qui modo prada fuit.

Cap. 3.

Alta subit Nineues fortis sub tecta Prophetes,
Et quae sint urbi fata futura docet.
Ocyus hi Dominum uotis precibusq; fatigant,
Nullaq; quae fuerat poena parata, uenit.

Cap. 4.

Displicuit

Difficuit querulo Domini clementia Vati,
 Dum fame metuit damna nociua suæ.
 Huic deus ostendit fruticis per damna ruentis
 Quam non sit iusti pectoris ille dolor.

MICHAEL

In Cap. 1.

ECce Deus fortis caelo descendit ab alto,
 Et populo pœnas suppliciumq; parat.
 Opprimet iniustos idolâq; turpia franget,
 Non aliquis poterit consuluisse sibi.

Cap. 2.

Affligunt inopes, contemnunt dogmata Vatum,
 Et iacet infamis multa rapina domi.
 Et falsos querunt peruersa mente prophetas,
 Ergo dabit miseris tristia bella Deus.

Cap. 3.

Corrigit iniustos diuina uoce Monarchas,
 Qui sibi commissum diripere gregem.
 Et propter falsos Vates, qui ficta docebant,
 Inuisis terret pectora dura minis.

Cap. 4.

Inclita describit uenientis sæcula CHRISTI,
 Qui sua perpetuo sceptrâ tenere solet.
 Hinc rursus exponit pœnas & tristia fata,
 Supplicium sæuis hostibus inde canit.

*Criminis hic meminit propter quod pœna Tonantis
Sœuijt, ut sancto numina corde colant.*

*Horrida sensisti, dolor at discedat inanis
Fata cito uenient prosperiora tibi.*

Cap. 5.

*Sumito iucundos letanti pectore uultus,
Indue letitiam letitiæq; decus.*

*Sublimes redeunt, quos sœuus depulit hostis,
Famaq; uirtutis iam duplicata tibi est.*

Cap. 6.

*Admonet abductos Ieremiæ litera Vatis,
Assyrios metuat ne pia turba Deos.*

*Vanaq; depingit proprio simulachra colore.
Nil iniuisse queunt, nil nocuisse queunt.*

HIST. SVSANNÆ.

Illicito castum Susannæ pectus amore
Tentatur, thalami seruat at illa fidem.
Insons damnatur, Daniel sed liberat illam.
Et cadit in molles pœna cruenta senes.

HISTORIA BELIS.

Belides pereunt infami morte, iubente
Rege, quod effictos composuere dolos.

I V D I T H.

Disilit inde Draco, Danieli seu a Leonum
 Vis parcat, fortis quem cibat ipse Deus.

LIBER IVDITH.

Cap. 1.

Magnanimi scribit Arphaxat fortia scepra, &
 Quam fuerint urbis moenia clara sue.
 Hunc Nabuchednezer uincit crudelibus armis.
 Quaeq; prius fuerat gloria tanta, iacet.

Cap. 2.

Conuocat Assyrius crudeli mente Senatum,
 Gentibus & cunctis bella mouere parat.
 Deligiturq; ferox Holopherne, bella feroci
 Qui mouet immutis sanguinolenta manu.

Cap. 3.

Regna tibi dedunt Holopherne plurima reges,
 Quos gelidus uetuit sumere tela metus.
 Tu tamen immanis uirideis grassaris in agros.
 Nec tibi subiectis parcere, saeue, soles.

Cap. 4.

Tristis Iudaeas peruenit rumor in urbeis,
 Et capit attonitus pectora quassa timor.
 Attamen arma parant, imponunt montibus altis
 Praesidia, & Dominum nocte dieq; rogant.

Cap. 5.

Assyrius

APOCALYPSIS
A P O C A L Y P S I S
I O A N N I S.

Cap. 1.

Hic uentura canit uenturo tempore fata,
His scribens, Asia qui bona rura colunt.
Apparent stelle septem, candelabra septem,
Mirifico ac anceps ensis ab ore micat.

Cap. 2.

Admonet heic Ephesum famose et moenia Smyrnae,
Post illas pariter Pergama clara monet.
Quaeq; Thyatiram uictrix Ecclesia gentem
Incolit, his quae nam fata futura sient.

Cap. 3.

Fata canit Sardis, narrat Philadelphica fata.
Fata canit diues Laodicea tibi.

Cap. 4.

En Deus altisonans solio sedet altus eburno,
Huncq; senum turba bis duodena canit.
Quatuor hunc etiam clamant animalia Sanctum.
Sic Domino soli traditur omnis honor.

Cap. 5.

Cum clausum nemo posset aperire uolumen
Oblatum sumis, agne supreme, librum.
Te quoniam dignum clamant coelestia uerba, ut
Fatales referes sancta sigilla libri.

Cap.